



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Remedium secundum. Non agat familiariter cum scrupulosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

phantasiâque penitus defæcatâ, expeditius vires suas exeret, vaporibus antehac nimis præpedita mens, & actiones omnes pro libero, quo tum pollebit arbitrio, commodè ac sine difficultate dispertiet. Quas autem medicinas corpori perpurgando, confirmandoque cerebro pro re natâ adhibere oporteat, meum non est id statuere, Medicorum id est munus. Istud experientiâ certum est, eos qui scrupulis agitantur, pro variâ anni tempestate, Lunæ mensiumque varietate, sanguinis denique affluxu aut detentione, validius etiam scrupulis impeti, terrioribus rerum occurrentium simulacris terreri, cæcioribus denique animæ tenebris penitus obuolui. Quod quidem ab eo qui scrupulosum curare desiderat, obseruandum est non indiligenter, ne frustra operam perdat, animum curare dum satagit, antequàm sanando corpori adhibita sit medicina. Et quamuis medicinam vllam particulatim præscribere non sit animus, cum eæ pro variâ corporis, sexus, ætatis, morbi que diuersitate à perito medico sit distinguenda, & temperanda; istud tamen generatim dico, eiusmodi homines moderatè debere viuere; neque iis vllò modo conuenire, vt vires corpori per longa & crebra jejunia, asperiores membrorum afflictationes, diuturnioresque vigilias subtrahant. Euacuatur enim defatigatione nimia viuacior sanguis; & quod in aliis, vt vulgò dicitur, vacua præstat crumena & sine nummis, hoc in scrupulosis agit vacuus & sine debito nutrimento stomachus: vtrumque enim, vacuum facit esse cerebrum, sensus ad omnia torpidos, mentem turbidam, & phantasiâ sibi malè cohærentem.

R E M E D I V M II.

Non agat familiariter cum scrupulosis.

Scrupulosus cum scrupuloso non agat familiariter.

Alterum prætereà scrupuloso obseruandum, vt sibi sedulò à scrupulosi hominis commercio societateque caueat, quantumcumque modestus sit & vir pius. Contagiosus enim hic morbus est, & vbi materiam facilem inuenit, impressionisque capacem, etiam contactu nocet. Neque verò id quemquam latet, scabiosam ouem, quantociùs oui sibi simili scabiem affricare. 20.

Separandæ

Separandæ itaque profectò sunt quas malum tetigit, ne nimio commercio serpat longius, & in eas ipsas, quas malum corripuit, redeat & grassetur infestius.

21. Istud autem est prorsus admirabile, quòd si duo tantùm sint *Diabolus*
in aliquo hominum conuiuentium, aut etiam idem templum *procurat*
frequentantium cœtu, qui hoc morbo laborant scrupulosi, vix *ut scrupu-*
paruo interiecto tempore fieri, vt ii sese internoscant, familia- *los inter se*
ritatemque adeant facillimam. Istud quidem non miror ego, *silenter a-*
amicitia inter eos quòd coëat de facili; similis enim simili gau- *gant.*
det; & in hisce hominibus peculiare id est, quòd cum religio-
nem sanctitatemque ipsis spirare videantur scrupuli, magnum
etiam ad conciliandos proborum hominum, & ad virtutem pari
studio connitentium animos, habeant pondus. Coïre igitur inter
eos tam facillè amicitiam, minimè miror. At verò quòd sese tam
facillè scrupulosi internoscant, id sanè non satis capio: nihil e-
nim tanto studio solent celare quàm scrupulos, neque quidquam
ita exhorrent, quàm videri. Vnde ergo mutuam morbum tam
citò detegunt, aut coniecturant? An aliquis existit ex scrupulis
nidor, qui dum vtrumque præsentem complectitur, motus ex-
citat in cerebro, vi magneticâ, aut amicâ quâdam humorum
sanguinisque sympathiâ? Nescio quî id fiat, fit tamen quotidie.
Suspicio ego, & verò etiam credo, Dæmonis hæc esse commen-
ta & artificia. Vti enim dexteritate summâ, homini in peccata
proclui & proiecto, occasiones peccandi solet obtrudere; con-
quirere, inquam, homines eiusdem genii, quorum consortio ma-
joribus semper sceleribus implicetur: ita cum ex aduerso homi-
nem à sceleribus alienum, scrupulis videt oppugnandum, vt
eum à tramite virtutis auocet; istud etiam magno opere satagit,
vt ea ipsi obtrudat hominum commercia, per quæ certò scit,
maioribus eum tricis scrupulisque quotidie inuoluendum, ar-
gundosque mutuâ familiaritate timores fanaticos & ineptos.

22. Atque hinc petenda est ratio, cur scrupulos suos cum homine *Scrupulosi*
scrupuloso communicare, eiusque vicissim scrupulos audire *angere mu-*
nefas sit ei, ab hoc morbo curari qui vult serio. Fugienda est, in- *tuos metua-*
quam, hæc oris animique communicatio, non secus quàm homi- *mutus eob-*
ni orthodoxo, omnis cum hæretico euitanda est de religione *loquunt.*
disputatio. Est enim scrupulorum morbus, hæresis quædam mo-
ralis, & mentis peruicacia. Cum autem, qui naturâ suâ timidus
est,

est, & vitio suo scrupulosus, alienos metus intelligit, præsertim eius cuius virtutem aestimat, illicò & suos metus auget, & novos veteribus adiicit. Timet enim ea, timeri quæ videt, & quæ antea timenda esse minime suspicabatur. Abrumpatur itaque eiusmodi commercium; neque morbos suos detegat scrupulosus iis, à quibus nullum malo suo remedium relaturus sit; sed contra potius noua concipiet phantasmata, nouasque peccatorum species, per quas longè maximum suo malo adiciet incrementum.

R E M E D I V M III.

Scrupulosus nequidem secum de scrupulis multum agat, disputet, aut deliberet.

Diabolus scrupulosus otium & solitudinem suadet, vtrumque cauendam.

NEQUE aliena tantum de scrupulis declinanda sunt colloquia, sed & illa quæ quisque secum instituit. Hæc enim altera est Dæmonis techna. Vt scrupulosum hominem dementet facilius, ei solitudinem suadere nititur, & persuadere tandem vt rebus omnibus, functionibusque procul amandatis, multum secum agat, multa cogitet, multa expendat. Genio autem suo, cogitationibus, inquam, objectis indulgere scrupulosa mens dum incipit, tum verò velut agmine facto vndique irruunt rationes falsæ, peccatorum adumbratæ species, vani motus, totamque & phantasmam, & animam simul infestant crudelissime. Itaque otium, solitudinemque deuita studiosissime, ne mens dum nihil agit, agatur in transversum, atque agat pessime.

Scrupulosos secum de scrupulis non loquatur.

Neque tacita secum de scrupulis trahat colloquia, præsertim nocturna; longè enim facilius ea te perdent, quam aliena. Cum enim naturam suam pauido id proprium sit, vt ea sibi semper obijciat quæ maxime metuit, sane hæc tibi semper, quæ maxime vrgeris, propones materiam, & sic excrecent phantasmata quæ metus faciunt. Rursus vt ne vanus esse credas, rationes vndique conquirens fulciendis scrupulis; & cum iis semper admixta sit superbia, bonaque sui ipsius existimatio, nemini facilius credes quam ipsimet tibi.

Tecum itaque de scrupulis ne colloque re. Id autem vt clariùs